

† Pl. Rev. P. Rudolfus Winkelmann (1886-1952)

(Vice-Prov. de Breslau)



Confrater noster mortuus e matrimonio mixto prodiit. Avus e provincia Saxonia Berolinum venit, ubi primo servulus, deinde camerarius erat regum Friderici Gul. III et Friderici Gul. IV. Eius filius, pater nostri confratris, in Bohemiam emigravit ibique mulierem catholicam in matrimonium duxit. P. Winkelmann ergo natus erat in Austria, et quidem in urbe Aussig ad Albim sita 26 Ian. 1886, sed Prusiani civis ius sibi per totam vitam retinuit, usquedum, hac re publica post ultimum bellum dissoluta, merus Germanus erat.

Puero nondum triennio, proh dolor, ambo parentes morte erepti sunt, et protestantici propinqui eum Berolinum transferre volebant, sed catholicus tutor, quidam vicarius foraneus seu decanus, fortiter restitit et parvum Rudolfum in orphanotrophio catholico oppidi Kommotau collocavit.

Schola elementaria absoluta per unum annum gymnasium frequentavit; deinde desiderio pueri satisfaciens eum in iuvenatum Katzelsdorfensem miserunt. Postquam studia humaniora perfecit, die 15 Aug. 1904 vota emisit et die 31 Iulii 1910 sacerdotii dignitatem accepit.

Studiis peractis necnon secundo noviciatu sub Patris Caroli Dilgskron directione, Superiores eum Wartham Silesiae miserunt, locum Marianis peregrinationibus sacrum, ubi aestate peregrinatoribus praesto erat et hieme ad missiones exhibat. Primo magno bello militiei non est adscriptus, sed per aliquod tempus in quadam arce feudali vivebat et a. 1915 Wartham rediit.

Dum hoc bello exeunte, Vratislaviam translatus, novae domus initia participat, ipse quoque, tunc Europam pervagante morbo *Grippe*, in summum vitae discrimen actus est; sed morbo superato aliqui anni pleni fructuosae actionis missionariae sequebantur. A. 1924 in urbe ferri et carbonum Gleiwitz munus Superioris subiit, ubi ecclesiam nonnihil amplificavit, Archisodalitatem B.M.V. de Perp. Succursu et S. Alfonsi fundavit, sodalicium virorum condidit, quorum numerus brevi sexcentis maior erat.

A. 1930 P. Winkelmann, tamquam Rector Vratislaviam reversus, secundo triennio magnam partem veteris domus collabentis destruere et fere plane novam domum aedificare coactus est. Ab 1936 ad a. 1939 ut Rector domus Wartha

in Monte Rosarii, ubi quindecim sacella, singulis rosarii mysteriis repraesentandis destinata, maxima parte iam constructa erant, sacellum Praesentationis Iesu in templo erexit, quod communi iudicio unum ex optimis est. Omnibus Superioratus annis sedulo et assidue missiones participabat, exercitia tradebat aliosque labores pastorales suscipiebat.

P. Vice-Provincialem Henr. Musshoff excipiens, P. W. a. 1939 V.-Provinciae de Breslau praeficitur, quam dirigebat difficillimis annis belli, quod tres Patres, unum Fratrem cl., duos Fratres coadi. nobis eripuit; insuper post bellum tres Patres tamquam victimae belli mortui sunt. Huius Superioris sollicitudo paternae, immo quasi maternae, maxime effulsit primo tempore postbellico, quo a nullo sacrificio, a nullo itinere pedestri, vel longissimo abhorrebat, dummodo suos videre et solari posset.

Silesia a Polonis occupata P. Winkelmann mense Aprili a. 1946 una cum magno agmine expulsorum in Germaniae partes occidentales venit. Habitans in nosocomio oppidi Volkmarsen regionis Hassiae-Kassel, auxilia pastoralia praestabat in finibus vastae diasporae, praepriis popularibus Silesianis item expulsis. A mense Iulio Anni Sacri Iubilaei 1950 usque ad mensem Martii 1951 in Urbe, patria communi omnium fidelium, Germanorum confessarius erat, quod temporis spatium commentariis diurnis descripsit. In Germaniam reversus domui Glanerbrug adscriptus, confessiones noviciorum excipiebat et libenter ad parva auxilia exhibat.

P. Winkelmann tranquillitate et hilaritate animi praeditus erat, quam etiam curae et difficultates Superioratus nunquam perturbare aut exasperare poterant. Diligentissimus erat in exsequendis muneribus; in scriptis et cubiculo omnia nitidissima et optimo ordine composita inveniebantur. Exemplar erat omnibus in adeundo actus communes ad pulsum campanae, nec ullum nisi necessitate coactus omittere visus est. Observator attentus eum saepe silentio orantem cernere poterat, simulque eum plus minusve aegrotari. Medicum autem consulere confrater noster renuebat. « Sine medico tranquillius vivitur », aliquando dixit.

Ita factum est, ut communi exspectatione celerius mors veniret. Neglecta diabetes et uraemia gravis triduo vitam finierunt. P. Winkelmann, statim se ad mortem aegrotare cognoscens, piissime sacramenta infirmorum suscipiebat, et tranquille, sicut vitam temporalem degerat, etiam aeternam ingressus est, die 28 Sept. 1952. Have, pia anima!

A. POBADNIK - H. NIEMANN